

## SECTION I.

## §. LXIV.

*Quae sit iurisdictio Ecclesiae interna.*

Praeter *externam* Ecclesiae iurisditionem, de qua actum est haecenus, alia est quam *internam* vocant, et in potestate remittendi retinendique peccata sita est, iuxta illud *Servatoris* : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Sed de hac Theologi.

SCHOL. Conf. vir. clar. Plac. Fixmillner *exercit.* 2. *sect.* 4. §. 51. pag. 132. *seqq.*

## CAPVT VI.

## DE POTESTATE ECCLESIAE

## COERCITIVA.

## §. LXV.

*Potestas coercitua Ecclesiae competit.*

Iurisditionis sacrae pars altera, quae in coërcendis delictis salutem Ecclesiae laedentibus (§. VI.), corrigendisque pravorum moribus, aut in facinorosis penitus e christianorum societate eiciendis sita est, *potestatis coercituae* nomen habet (§. LVI.). Constat vero duplici iure, poenas scilicet *decernendi*, et *exsequendi* decretas *remittendae*. Illud *ius puniendi*, hoc *iurisditionem* Ecclesiae *criminalem* vocant. Potestatem hanc in Ecclesia christiana non postremis demum saeculis, verum prima quoque et puriore, ut aiunt, aetate receptam fuisse, at-

1 Ioann. XX. 22. 23.

## CAPVT VI.

atque interdum exercitam, nemini haecenus, opinor, dubium fuit: adeo enim perspicua huius rei exempla historia sacra prodidit memoriae, ut in controversiam adduci nullo modo possit. Sed causa iuris quae sit, cui exercitium illius competat, quoque in genere poenarum versetur, haec sunt, de quibus varie acriterque disceptatum est.

SCHOL. Exercitae potestatis varia eaque illustria exempla veterum temporum memoria suppeditat. Collegit complura ex Irenaeo, Tertulliano, Cypriano, Eusebio, Theodoro ipse Pfaffius *orig. iur. can. pag. m. 122. seq.* quibus addi permulta possunt alia, si opus esset. Ceterum non hoc mihi nunc propositum est, ut universam Ecclesiae disciplinam explicem, quam pro temporum diversitate aliam atque aliam in hoc capite obtinuisse satis constat omnibus. Quod moneo, ne sit argutus quisquam, qui in vitio ponat, si nihil hoc loco reperit eorum, quae de *poenae ac censurae* discrimine, huiusque variis speciebus acute magis quam vere scholastici disputant. Sciunt qui vetera norunt, nova haec esse iunioris aetatis inventa, enutrita in scholis, ex quibus in forum demum prolata sunt non sine insigni disciplinae mutatione. Olim crimina etiam ad synodum delata non pledebantur, nisi in ordine ad sacramentalem absolutionem. Nullum ea aetate *fori externi* atque *interni* discrimen, neque alius illi, huic alius praeficiebatur iudex, qui delictis inquirendis coërcendisque auctoritatem impenderet, quod Morinus *de administ. poenitent. lib. 1. cap. 9. et 10.* probavit. Inventi huius discriminis laus est propria saeculo duodecimo. Quo recepto semel probatoque, planum fuit eo delabi, ut quae maiores ad *correctionem* maxime *poenitentiamque* iniungebant graviorum etiam facinorum reis, hi per modum *poenae ad publicam vindictam*, pronuntiatique ex formula iudiciorum sententia, infligerent executionisque darent: quo ipso praecipua sincerae disciplinae ratio mi-

rifice turbata est. Conf. Fleurius *dissert.* 3. in *Hist. eccles.* §. 16. *seqq.* et *dissert.* 7. §. 9. *seqq.* Espen in *tract. histor. can. de censur. cap.* 2. §. 2. 3. et *part.* 3. *iur. eccles. univ. tit.* 11. *cap.* 1.

## §. LXVI.

*Fundamentum huius potestatis.*

De causa iuris istius atque origine in primis vehemens est ac pertinax controversia. Mihi quidem potestatem hanc Ecclesiae divinitus tributam esse certum est ac perspicuum quam maxime. Quum omnis Ecclesiae sollicitudo huc pertineat, ut ad religionem fideles virtutisque verae studium perpetuo colendum informet; eniti utique illam oportet omni, quo licet, modo, ut ne impietati malisque moribus grassari in populo christiano impune liceat, ac pravis exemplis imbecilles animos corrumpere, inque parem turpitudinem pellicere: maxime quod *Christus* ipse hoc ei officium disertis verbis imposuerit, adiecta potestate efficiendi etiam e societate christianorum, si qui essent animo tam inflexili, ut ambiguum sanioris consilii spem facerent. *Si peccaverit in te frater tuus*, inquit 1, *vade et corripe eum inter te et ipsum solum* :: *si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum*: quod si non audierit eos, *dic Ecclesiae*: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Ob huius officii neglectam curam *Christi* ipsius reprehensionem meruit *Episcopus Pergami* 2; et *Apostolus* minatus *Corinthios* 3 divinitus se instructum potestatem ait ad ulciscendam omnem inobedientiam, qua usurata se adversus illos non dissimulabat,

1 *Matth.* XVIII. 15. *seqq.*2 *Apocal.* II. 14. 15.3 *I. Corinth.* IV. 21.

bat, nisi obsequentes se monitis praebuerint 1. Eademque auctoritate *Paulus* praecipit *Timotheo* ac *Tito*, increparent inobedientes dure arguerantque cum omni imperio 2; ac *Corinthium* incestus reum segregari ab Ecclesia iubet, quo et ipse verecundia tactus ad frugem redeat, et salutem Ecclesiae consulatur 3. Haec sane, nisi totus fallor, potestatem coercendi facinorosos, atque etiam e societate efficiendi Ecclesiae divino iure competentem manifesto indicant. Nec alia *Patrum* sententia fuit. Nam dum censuram divinam *Tertullianus* vocat 4, ex iure clavium *Cyprianus* 5, ex ligandi ac solvendi potestate *Augustinus* eam repetunt 6: nonne hoc ipso divino eam iure divinus consilio Ecclesiae tributam aperte confitentur? Vanam enim fore persaepe legum sacrarum obligationem (§. XLVI.), inefficax Ecclesiae iudicium (§. LVII.) pulchre video, nisi quos *Spiritus Sanctus* posuit *Episcopos* regere *Dei* Ecclesiam (§. XXI.) instructos a *Christo* ea demum auctoritate, qua effici possit, ut decretis eorum ac iudiciis obedientia praestetur, conservetur unitas, haereses ac schismata cohibeantur, et contumaces redigantur ad obsequium.

SCHOL. Negat *Bohmerus* in laudata saepe *diss. de confederata christ. discipl. cap.* 2. his sacrae Scripturae locis quidquam inesse ponderis ad eam, quam volumus, Ecclesiae auctoritatem probandam. Negarunt ante illum *Seldenus* ac *Lightfootus*, quos suae habet auctores sententiae. Sed *Bohmeri* interpretationem accurate refellit *Pfaffius* in *originibus iuris canonici pag.* 7. 19. 65.

## §. LXVII.

1 *II. Corinth.* X. 8. XIII. 10.2 *I. Tim.* V. 20. *Tit.* I. 13. II. 15.3 *I. Corinth.* cap. V.4 *Apol.* cap. 39.5 *Epist.* 27.6 *Gratian. caus.* 24. *quaest.* 1. *can.* 6. *quaest.* 3. *can.* 1.

## §. LXVII.

*Quibus in Ecclesia competat.*

Hinc porro illud quoque manifestum esse reor, ut clavium ius (§. XXXIV.), ita arguendi coërcendique potestatem non coetui universo, sed iis præcipue a sapientissimo Fundatore mandatam esse, ad quos gubernandi populi sui auctoritatem voluit pertinere (§. XXI. seqq.). Etsi enim haud diffitear, eam primæ ætatis *Pauli*, ut videtur, exemplo receptam fuisse disciplinam, ut in resacendis præcipue a sano corpore morbo infectis membris consilio Episcopi ac suffragatione non presbyterorum dumtaxat ac reliqui cleri, verum plebis etiam christianæ uterentur; eiusque disciplinae *Cyprianum* aliquoties<sup>1</sup>, *clerum* etiam *Romanum* in ea, quæ est ad *Cyprianum*, epistola<sup>2</sup> disertam inieçisse mentionem non ignorem: potestatem tamen ipsam huiusque exercendæ facultatem ad Episcopos ecclesiarum eminenti quodam iure pertinuisse, res est *Patrum* traditione, atque observantia ipsa christianorum adeo certa, ut nullus videatur ne suspicioni quidem relictus locus. Et verò nititur hæc observantia non ambiguo *Christi* præcepto de corrigendo privatim fratre, eoque, si Ecclesiam non audierit, prorsus vitando (§. LXVI.): cui continuo subiiciens, *Amen, amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælis*<sup>3</sup>, satis aperte innuit, *Apostolis* potissimum, et per hos futuris populi christiani Reçtoribus eius rei curam auctoritatemque a *Servatore* fuisse impositam.

SCHOL. Ligandi enim et solvendi potestatem seu dim-

<sup>1</sup> *Loc. cit.*

<sup>2</sup> *Epist. 9. 57.*

<sup>3</sup> *Epist. 31.*

<sup>4</sup> *Matth. loc. cit.*

mittendi retinendique peccata extraordinariam fuisse, et *Apostolis* propriam, quod *Bohmerus loc. cit.* contendebat, negant ingenue cruditissimi quique e Protestantium communione Theologi: Fechtius cum primis, cuius in *diss. de clav. ligant. et solv. sect. 1. §. 14.* hæc verba sunt: *Claves regni eorum in genere designant omnem sacri officii potestatem. Hæc potestas licet radicaliter penes totam Ecclesiam resideat; patet tamen, Salvatore certas quasdam personas ordinasse, quæ potestatem hanc administrarent: Erant igitur inter eiusmodi *Christi* servos primi quidem et principes *Apostoli*, quibus claves cæli datæ fuere, non privatim, ut loqui amant doctores, exclusis aliis conservis aut successoribus, sed cumulativè, ita ut præter duodecim *Christi* discipulos: alii plures mediate vel immediate vocati ministri hæc facultate fuerint instructi. Scio quam contentiosè Fechtium impugnaverit *Gundlingius in prælect. ad Corvinum lib. 4. tit. 43.* Sed Fechtii doctrinam suæ ecclesiæ doctrinam esse adfirmavit intelligentiarum harum rerum *Pfaffius in orig. iur. canon. pag. 20.**

## §. LXVIII.

*Coërcet Ecclesia poenis tantum spiritualibus.*

Potestatem autem puniendi ecclesiarum Præpositis (§. LXVII.) divino iure competere (§. LXVI.) quum dico, id vero de *spiritualibus poenis* tantum, non de *civilibus* velim intelligi. Ut enim tota, quam a Christo habet, Ecclesiæ potestas mere spiritualis est (§. XXXV.), ita etiam spiritualibus tantum armis exercetur poenisque, quæ solo divino iure ad Ecclesiam materiali gladio destitutam pertinent, ac bonis privant ab eius dispensatione pendentes. Præclare *Chrysostomus*: *Regi*, inquit,

<sup>1</sup> *Hom. 4. in illud Ebraicæ: vidi Dominum,*

corpora commissa sunt, sacerdoti animae: Rex maculas corporum remittit, sacerdos autem maculas peccatorum: ille cogit, hic exhortatur: ille necessitate, hic libera voluntate: ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia. Et in eandem sententiam S. Anselmus: Sunt, ait, et ministri saeculares a quibus temporalia, et spirituales a quibus debent tractari spiritualia. Datur ergo materialis gladius carnalibus, spiritualis autem ministris spiritualibus. Sed sicut non convenit Regibus, quod ad stolam pertinet, sic nec Episcopus, quae Regis sunt, exercere debet. Quod quia Petrus, qui figuram spiritualium gerit, materialem gladium quodammodo exercuit, dum auriculam servi amputavit, a Domino increpari meruit. Publicum peccatorem indignum consortio fratrum pronuntiare iussit Servator (§. LXVI.), sed vim maiorem non modo non indulsit, verum prohibuit etiam conceptis verbis, reprehendens acriter discipulos ignem e coelo in Samaritanos, qui eum non receperunt, educere volentes: *Nescitis, cuius Spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare* 2. Quo ipse Christus aperte nos docere voluit, alienam esse a spiritu evangelii violentiam, quae ad extorquendam religionem adhibetur. *Nihil est tam voluntarium est, quam religio*, inquit Lactantius 3, in qua si animus sacrificantis aversus est, iam sublata, iam nulla est.

SCHOL. Conf. Du-Pin de antiq. eccles. discipl. disert. 7. cap. 1. §. 5. Lactantii illum, quem descripsi, locum in nullo se eius scriptis invenire potuisse scribit Jos. Vlheimer in Comment. de potestate punitiva ecclesiastica et saeculari §. 35. pag. 17. At exstat is tamen integer libro quinto divinarum institutionum capite vicissimo in editione, qua utor, ann. 1525. Quod quidem totum.

1. AuGt. enarrat. in Matth. cap. XXVI. quae Anselmo attribuuntur. Coloniae Agrip. 1560.

2. Luc. IX. 55.

3. Div. inst. lib. 5. cap. 20.

tum disertissimi scriptoris caput, vellem, Licentiatum hic iuris semel atque iterum legat diligenter. Similis est viri istius oscitantia in loco Chrysostomi, opinationibus eius permolesto. Verba Sancti Patris haec sunt: *Neque enim possunt quilibet homines pari facilitate curari, ac pastor curat ovem. Hic enim opus perinde est ligare, ab alimento abigere, urere, socare; sed potestas medicinae accipiendae non penes illum est, qui remedium admovet, sed penes illum, qui morbo laborat. Hoc enim quum nosset admirandus ille vir, Corinthiis dicebat: Non enim dominamur fidei vestrae, sed adiutores sumus gaudii vestri. II. Corinth. I. 23. Christianis enim sacerdotibus minime omnium licet lapsus peccantium vi corrigere. Exteri quidem iudices facinorosos homines, qui secundum leges deliquerunt, magna cum auctoritate cohibent, ac vel invito a moribus pristinis arcet: hic autem non vim adferre, sed suadere tantum oportet: Neque enim nobis facultas a legibus data est ad delinquentes coercendos; ac ne, si data esset, haberemus ubi vim huiusmodi potentiamque exercere possemus, quum Christus eos aeterna corona donet, non qui coacti, sed certo animi proposito a peccatis abinent. Lib. 2. de Sacerd. cap. 3. Quid ad haec Vlheimerus? Ait se in operibus Sancti Chrysostomi haec invenire nullibi potuisse, licet diversas, inquit, eorum editiones non sine insigni labore evolverim ipse, atque idem ab aliis fieri curaverim: ut adeo hunc anonymi locum, quem sancto huic Patri adscribit, pro ipsius ingenti partu merito habeam. Papac!*

## §. LXIX.

*Non etiam per se civilibus.*

Et vero nihil prope magis contestatum est, quam in ea semper Ecclesiam christianam sententia fuisse, ut nul-

lam sibi crederet datam diyinitus facultatem, qua ipsa per se iure quemquam posset vi adhibita ad obsequium compellere, inque eos, qui dicto parum audientes essent, corporalibus poenis bonorumque temporalium privatione animadvertere. Docere, hortari, suadere, obviare, movere gradu ecclesiastico, Sacramentorum usu arcere, et publicum peccatorem christianorum communi-  
one indignum declarare, hoc sui esse muneris, sui iuris censuit: quae si omnia parum proficerent, gravioribusque remediis ad pacem tuendam arcendosque improbos opus esset, licere quidem sibi existimavit Principum ac Magistratum implorare auctoritatem, quorum ipsa non posset, frangeretur contumacia 1; sed ipsa sibi decernendae poenae facultatem non sumebat 2. Diu post Imperatorum beneficio factum est, ut eo iure Episcopi monachorumque superiores ornarentur, non ad publicam exercendam vindictam, sed ad corrigendos paterna severitate filios 3, intra quem modum adhibitam castigationem non existimabant vel adversam lenitati Evangelii, vel pietati verae inimicam 4. Non potest error metu corrigi, fateri; sed erroris causa saepe, contumaciae vero semper in voluntate posita est, quam interdum non infeliciter temperata castigatio emendat 5. Itaque habet Ecclesia potestatem a Christo sibi traditam coercendi facinorosos mediis spiritualibus, habet ius paternae castigationis, habet decernendae poenae etiam corporalis facultatem summorum Principum beneficio tributam, sed ad modum legibus publicis constitutum exercendam. Quam si migravit aetas recentior, si beneficii dudum immemor alienam tamquam propriam sibi iurisdictionem arripuit, si hanc exercuit, non ut emendaret, sed ut plecteret, idque suo

1 Bingham orig. eccles. lib. 16. cap. 2. §. 3.

2 Traß. de potest. eccles. et civ. art. 1. prob. 4.

3 Arman de Monast. cast. rest. 1. cap. 1.

4 Berr bel de eo, quod iustum est ex lege divo. cap. 11.

5 Bar ibel loc. cit. §. 16. seqq.

suo arbitrato, non intra modum legibus canonibusque praestitutum: nonne aequum est, ut Principes ad eam iudices ecclesiasticos moderationem revocent, quae cum mente Evangelii omnem dominatum abhorrente, cum religionis ac virtutis non simulate natura, suaque ipsorum suprema potestate coniungi potest?

SCHOL. Haud aegre hinc aestimare unusquisque potest, quo genere poenarum iure proprio Ecclesia uti possit, quo pro ea potestate, quam sibi creditam habet ab Imperantibus christianis. Evidens est enim, nisi legibus id publicis cautum sit, ius eam non habere quemquam privandi bonis, poena pecuniaria coercendi, multandi exsilio (quod non diffitetur ipse Pontifex cap. 10. de iud. Conf. Espen part. 3. iur. eccles. tit. 11. cap. 1.) carcere plectendi, aliisque ex eodem genere atrocioribus poenis, de quarum rigore iam saeculo decimo quarto querelam ad Ioannem Franciae Regem delatam Fleurius narrat ad ann. 1351. Quid nostra actate actum sit, docet Rauttenstrauch. Inst. iur. eccles. publ. §. 48. seq.

## §. LXX.

## Nullo modo capitali.

Si scholam audis, nullum est genus poenae, quo Ecclesia iure suo animadvertere non possit. Corpus, bona, famam, iura tam munerum quam successionum omnia illi subicit. Nihil illa Principibus vult in acceptis referre. Nec mirum, quoniam ad ipsos privari regnis posse Principes aperte docet. Neque enim esset, inquit Io. de Dicastillo 1, satis Ecclesiae provisum, si careret potestate puniendi poena temporali: ac proinde si aliquis Princeps desitit a fide, summus Pontifex illum privare regno, et alium substituere potest. Et ne quid deesset ad doctrinae istius absurditatem, existit Ulhei-

me-

1 Traß. de censur. disput. 1.

merus nuper, cui, *natura rerum spectata*, Ecclesiae quoque competere ius immittendi poenam capitalem visum est 1; eodem iure in veteri testamento usos esse sacerdotes: immemor fortasse illius, quod est a Cypriano in epistola ad Pomponium scriptum egregie: *Interfici Deus iussit sacerdotibus suis non obtemperantes, et iudicibus a se ad tempus constitutis non obaudientes*. Et tum quidem gladio occidebantur, quando adhuc et circumcisio carnalis manebat: nunc autem quia circumcisio spiritalis esse apud fideles servos Dei coepit, spiritali gladio superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia ciuiciuntur 2. Quod et Augustinus postea docuit in libro de fide et operibus 3: *Phinees Sacerdos*, inquit, *adulteros simul inventos ferro ulnore confixit*; quod utique degradationibus et excommunicationibus significatum est esse faciendum hoc tempore, quum in Ecclesiae disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus.

Schol. Ac ne quis exempla nobis opponat Pontificum hanc sibi auctoritatem vindicantium, adscribo Petri Damiani egregium prorsus responsum *lib. 4. epist. 9. ad Older. Firman. Episcopum*: *Sicut ipse Dei Filius cuncta mundi obstacula non per districti examinis ultionem, sed per inuictam superavit inconcussae patientiae maiestatem; ita docet mundi rabiem potius aequanimiter ferre, quam vel arma corrumpere, vel laedenti laesionibus respondere, praesertim quum inter regnum et sacerdotium propria cuiusque distinguantur officia, ut et Rex armis utatur saeculi, et Sacerdos accingatur gladio spiritus, qui est verbum Dei: Si ergo pro fide, qua universalis vivit Ecclesia, nusquam ferrea corripit arma conceditur, quomodo pro terrenis ac transitoriis Ecclesiae facultatibus loricate acies in gladios debachantur? Porro sancti viri quum praevalet, hae-*

1 Cit. diuert. §. 17. 18.

2 Epist. 62. edit. Baluc.

3 Cap. 2.

haereticos idolorumque cultores nequaquam perimunt, sed potius ab eis pro fide catholica perimi non refugiant 1: Ad haec si quis obicit, bellicis usibus Leonem se frequenter implicuisse Pontificem, verumtamen sanctum esse; dico quod sentio, quoniam nec Petrus ob hoc apostolicum obtinet principatum, quia negavit, nec David idcirco prophetiae meretur oraculum, quia thorum alieni viri inuasit; quum mala et bona non pro meritis considerentur habentium, sed ex propriis debeant qualitatibus iudicari. Numquid hoc legitur vel egisse vel litteris docuisse Gregorius, qui tot rapinas ac violentias a Longobardorum est feritate perpessus? Num Ambrosius bellum Ariani se suamque ecclesiam crudeliter infestantibus intulit? Numquid in arma Sanctorum quispiam traditur incurrisse Pontificem? Causas igitur ecclesiastici cuiuscumque negotii leges dirimant fori, vel sacerdotalis edita concilii, ne quod gerendum est in tribunalibus iudicum, vel ex sententia debet prodire Pontificum, in nostrum vertatur opprobrium congressione bellorum.

## §. LXXI.

*Maxima in Ecclesia poena est excommunicatio.*

Itaque summum coercitionis genus, quo in suos alieno destituta praesidio iure uti Ecclesia potest, excommunicatio est, per quam iure christianae societatis privamur 1. Quae quidem ipsa poenae istius severitas facit, ut ei locus non sit in peccatis levioribus 2, verum in iis dumtaxat, quae coniuncta cum scandalo pacem Ecclesiae perturbant, et in publicum perniciosae sunt 3. Ac ne in his quidem summam hanc disciplinae

se-

1 Cap. 10. de iud. caus. 24. quaest. 3. can. 17.

2 Caus. 11. quaest. 3. can. 8. 41. 42.

3 Espen part. 3. tit. 11. cap. 7. 8.

severitatem adhibendam censebant maiores nostri, si vel laterent 1, vel probata legitime non essent 2, si proposita animo ac decreta melius consilium impedit 3, si praeter voluntatem vi maiore extorta sint 4, levioribusve remediis locus esse possit 5, si denique socia criminis multitudo metusve schismatis, aut alterius cuiusdam gravioris incommodi usum illius dissuadet 6. Unde intelligi potest, quam circumspecta morum censura esse debeat, dum de summis Principibus eorumque ministris ab Ecclesia arendis agitur. Etsi enim de iure satis constet, nec huius severitatis in eos exercitae melioribus etiam temporibus fortasse desint exempla 7; fieri vix unquam posse, ut telum isthoc in Principes coniciatur sine ingenti tam reipublicae quam Ecclesiae ipsius perturbatione superiorum temporum memoria docet luculentissime.

Schol. Conf. Du-Pin in *discr. 3. de antiqua Ecl. discipl. pag. 279. seqq.* Auctor *traict. de potest. eccles. ac temporal. pag. 13. seqq.* Ios. Bingham *loc. cit. pag. 145. seqq.* quibus iunge (est enim operae pretium) vir. clar. de Rigger *Instit. iurispr. eccles. part. 4. §. 581.*

## §. LXXII.

## Quae iure societatis sacrae privat.

Excommunicationem christianorum Seldenus existimabat similem fuisse illi, quam inter Iudaeos Apostolorum temporibus obtinuisse a Rabbis traditum est 8,

1 *Caus. 2. quaest. 1. can. 19.*2 *Loc. cit. can. 11. 18.*3 *Concil. Neoc. can. 4.*4 *Concil. Ancyr. can. 3.*5 *Trident. sess. 25. cap. 3.*6 *Bugb. lib. 16. cap. 3. §. 6. seqq.*7 *Bingb. loc. cit. §. 5.*8 *Fiximill. Exerc. 2. sect. 3. §. 32. seqq.*

civili nimirum, non sacrorum communione privantem. Boehmerus contra per illam sacrorum tolli communionem, non civilem contendebat, eamque in externa dumtaxat a coetu fidelium separatione constituisse: quod posterius quidem adversum est Tertulliano, Cypriano, Augustino, ipso doctissimo viro non diffitente 1; etsi non eam esse Ecclesiae potestatem iidem Patres docuerint, quam saepissime, ut ligare coram Deo quemquam possit, quem pura conscientia nullius arguit reum criminis 2. Nempe res haec est. Divinam institutionem si spectes, hi quos indignos fratrum consortio Ecclesia declaravit, eo nobis loco habendi sunt, quo ethnici et publicani, quibuscum nulla publici cultus divini communio esse potest. Itaque primus ac praecipuus, immo si stricte ac proprie loqui velimus, unicus excommunicationis effectus est privatio officiorum spiritualium, inquit Du-Pinius 3, non eorum, quae iure naturali, gentium, aut civili debentur. Eiusmodi quae sunt, adeo negari excommunicationis non possunt, ut praestari etiam necessario debeant. Verum exiguo admodum tempore intra hos tam angustos limites constituit disciplina christianorum, ut communione in rebus sacris dumtaxat, non civili atque externa conversatione interdiceret. Nam quod ad officia atinet libera amicitiae, mutui convictus, aliaque huius generis, licet non videantur iure divino prohibita esse, ab ipsis tamen Apostolorum temporibus in usu fuit haec excommunicatis denegare 4; tum ut peccatoribus incuteretur vaecondia, aliosque exemplo suo terretet; tum ut devitaretur contagio malorum, in quorum mores facile transformat arctior amicitia 5. Quare omnino repudianda est eorum sententia, qui hanc per

P

so

1 *Iur. eccles. lib. 5. tit. 39. §. 19. 20.*2 *Espan loc. cit. cap. 6. §. 12. seqq.*3 *Cit. loc. pag. 293.*4 *Du-Pin loc. cit.*5 *Bingham lib. 16. cap. 2. §. 12.*

se censuræ ecclesiasticæ inesse vim statuunt, ut, quæ quis non ab Ecclesia sed a civitate inra habet, eorum usu legitimo privet. Nam quod postea inter christianos excommunicati, nisi respiciant, sint infames, inrestabiles, ad quædam vitæ civilis officia inhabiles, id ex eo ortum est, quod christiani Principes, quoad fieri potest, leges suas ad bonos mores atque evangelicam disciplinam aptent, non quod excommunicatio per se ullo temporali iure bonoque privet. Bossuet in defens. cler. gallic. lib. 1. sect. 2. cap. 22.

SCHOL. Omnem itaque sacre potestatis modum prætergressus est Gregorius P. VII. quando omnes, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento obstricti sunt, apostolica auctoritate a iuramento absolvit, et ne eis fidelitatem observent, omnibus modis prohibuit apud Gratian. caus. 15. quaest. 6. cau. 4. Conf. Bossuet in defens. cleri gallic. lib. 1. sect. 1. cap. 7. seqq. Natalis Alexander in Hist. ecclesiast. sæc. XI. diss. 2. art. 8. seqq. et sæc. XVI. diss. 6. art. 6. §. 5. Plura de excommunicatione ceterisque Ecclesiæ poenis alibi. Vnum hic moneo, negasse perperam Boehmerum lib. 3. iur. eccles. Protest. tit. 41. §. 43. minorem, quam vocant, excommunicationem ante Innocentium III. cognitam fuisse, ut docuit Bingham lib. 16. cap. 2. §. 7. et 8. Id autem omnino ferri vix potest, quod doctrinæ suæ testes Espenium laudet et Christ. Lupum. Quid? Espenius minorem excommunicationem olim receptam fuisse perhibet? Vide, si lubet, eiusdem capituli 1, ad quod Boehmerus provocat, §. 22. et 23. ac tum, si potes, cum Boehmero in §. 20. sentire Espenium existima. Conf. vir clariss. Plac. Fixmillæner exerc. 2. sect. 3. pag. 118. seqq.

## CAPVT VII.

## DE IMPERIO SACRO.

## §. LXXXIII.

Est aliquod in Ecclesia imperium.

Esse aliquod in Ecclesia Christi imperium mihi quidem certum est. Enimvero potestatem illi a *Servatore* in ipsa institutione traditam (§. XXXIII.), cui ius inest ferendi leges (§. XLII.), et orta de negotiis sacris dissidia pro auctoritate componendi (§. LVII.) coercendique poenis, si qui decretis eius rebusque iudicatis obsequium detrectant adhibere (§. LXV.), imperium vocare quid verat? quando ipse etiam *Apostolus* hoc ad eam designandam vocabulo usus est: et *Gregorius Nazianzenus* in oratione illa percelebri, qua minis *Praefecti* Caesarei iacentes civium suorum animos erigere conabatur: *Quid vero*, ait, *vos Principes et Praefecti? .... Quid igitur dicitis? .... Nam vos quoque imperio meo ac throno lex Christi subicit. Imperium enim et nos gerimus; addo etiam praestantius ac perfectius imperium. Apte vero atque apposite imperium hoc sacrum est appellatum: nam et societas christianorum, cui regendæ præest, sacrorum societas est, et sacer quoque finis, utpote in interna animarum salute positus (§. VI.).*

SCHOL. Genus hoc loquendi ab usu *Scripturas* alienum non esse, in qua *imperare* idem saepe valet, quod

P 2

pa-

1 Ad Tit. cap. II. 15. Adducit quoque *Lackius* ex *Ignatii* epistola ad *Trallianos* hæc verba: *quid aliud est Episcopus quam is, qui omni principatu et imperio superior est? Ceterum non inveniuntur in vera et genuina epistola, sed in interpolata.*



*pacere*, observat vir clar. Plac. Fixlmiller *exercit. 2. sect. 2. §. 23. pag. 81. seq.* Nec adversantur, quae aio, placitis philosophiae novissime probatis. Gunnerus in *praefationibus ad Dariesii Inst. iurispr. univers. §. 667. Ius*, ita is ait, *pertractandi ea, quae suapte natura facultate pollent intellectiva aut alia ad certum quendam praefinitumque finem, dicitur Principatus aut Imperium.* Ius itaque liberis christianorum actiones dirigendi ad aeternam felicitatem consequendam, non invito Gunnero, *imperium ecclesiasticum* vocari potest. Habet autem Ecclesia, qua societas est, ius determinandi ea, quae pertinent ad finem sibi propositum obtinendum et promovendum (Bohmer in *princ. iur. canon. §. 7.*): habet igitur et imperium. Rursus Ecclesia ius habet adornandi cultum divinum tum ratione altuum sacrorum, tum ratione modi, temporis, loci; ius determinandi ea, quae instar medii se habent ad eundem finem promovendum; ius removendi impedimenta finis communis. Bohmer *loc. cit. §. 8.* Atqui vir clar. Henr. Schei Demantel in libro de *Regum iure ac ratione, et. §. 61. imperium* in specie a *directorio* in hoc distare ait. Verba eius sunt: *Is qui froena regis imperii, aut potestate viget imperandi ex arbitrio, ut quae in animo habet facile exsequatur; vel id tantum praestare potest, ut advigilet quo iam statuto leges ac iura servantur. En signa, ad quae discernitur dominium seu imperium in specie a regimine seu a directorio.*

## §. LXXIV.

## Origo imperii sacri et obiectum.

De origine imperii istius atque obiecto nulla iam nobis esse potest disceptatio. Omnia quippe, e quibus componitur, iura divina ex institutione orta sunt (§. XLIII. LVII. LXVI.), iisdemque in rebus exercetur, in quibus

pot-

potestas clavium quae tota spiritualis est (§. XXXV.), et in negotiis quae salutem spectant, dirigendis versatur (§. XXXVIII.). Neque enim audiendi sunt nobis homines acuti illi quidem, sed interdum acuti plus aequo, qui res omnes ac negotia, maxime licet profana, imperio sacro *indirecte* saltem subiecta esse oportere praecipunt, spiritualiumque in numero censenda, ubi ad finem supernaturalem referuntur. Quo commento nihil fingi ineptius potuit. Quid enim? an religio *Christi*, qua ad continendos in officio cives nullum validius esse vinculum boni omnes profitentur, in rebus profanis habenda est, quum ad rerum publicarum securitatem tuendam conferret? Quid est aliud cum ratione insanire, nisi hoc est? Nimirum placuit *Christo*, cui ordinandae Ecclesiae potestatem plenam dedit *Pater*, etsi in populo hebraeo id obtinuit quandoque, ut genus rerum utrumque sacrarum et profanarum unius curae gubernationique commissa essent, ea ita partiti, ut summis Principibus alterum, alterum Sacerdotibus commendaret. *Fuerint haec*, inquit egregie Gelasius P. 1., *ante adventum Christi, ut quidam figuratiter, adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti, pariter Reges assisterent, et pariter Sacerdotes* :: Sed quum ad rerum verum est eundem Regem atque Pontificem, ultra sibi nec Imperator Pontificis nomen imposuit, nec Pontifex regale fastigium vindicavit :: Christus memor fragilitatis humanae, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, sic actionibus propriis dignitatibusque distinctis officia potestatis utriusque discrevit :: ut et christiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur: quatenus spiritualis actio a carnalibus distaret in cursibus, et ideo militans Deo minime se negotiis saecularibus implicaret, ac vicissim non ille re-

bus

*bus divinis praesidere videretur, qui esset negotiis saecularibus implicatus. Haec ille.*

SCHOL. Atqui hoc, inquit, ita est profecto, si aliud nihil deponat necessitas. At si in quibusdam implexis temporum circumstantiis spirituale imperium Ecclesiae sine iure in bona ac res temporales subsistere vix aut nullatenus possit, indubitatum nobis esse debet, quod ad finem sibi propositum, etsi spiritualem, immo hoc ipsum, quia spirituale, ac proinde superior est, imperium suum Ecclesia exercere possit ac debeat etiam in temporalia: quum utique Christus, qui ius ad finem dedit, ad media necessaria ius negare minime potuerit. Anne vero etiam indubitatum? Vide, nec pigebit, Natalem Alexandrum *Hist. ecclesiast. saec. XVI. dissert. 6.*

## §. LXXV.

*Omnes fideles huic imperio subsunt.*

Huic Ecclesiae summo imperio nemo non fidelium subest. Nemo hic vel pastorem vel ovium immunitate gaudet: ac ne is quidem, qui primum inter christianos ac praecipuum locum obtinet, Romanus Pontifex. *Constanter dico*, ait *Sylvester P. II.* in epistola ad Episcopum Parisinum, *quod si ipse Romanus Episcopus in fratrem peccaverit, saepiusque admonitus Ecclesiam non audierit, hic inquam Romanus Episcopus praecepto Dei est habendus sicut ethnicus et publicanus.* Considerate *Sylvester* Romanum quoque Antistitem elavium potestati subiectum esse adseverat, idque praeccepto divino, secundum quod Ecclesiam non audiens monitus ligari etiam ab illa possit, non utique citra sententiam in eum legitime pronuntiatam. Eandem subiectionem conceptis verbis professus est *Coelesstinus P. I.* in epistola ad Episcopos Illyrici, in qua *dominentur nobis*

*bis regulae, ait, non regulis dominemur: simus subiecti canonibus. Quorum exsequendorum officium nullam magis sedem decere Gelasius scribit, quam primam. Quibus convenienter ex paterna traditione perpensis, confidimus, quod nullus iam veraciter christianus ignoret, uniuscuiusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiae probavit adsensus, non aliquam magis exsequi sedem oportere, quam primam.* Quis *Gelasium* haec talia et tam adseverate scribentem neget credidisse, haud minus se, quam alium quemquam e coetu christianorum Antistitem ad custodienda Ecclesiae instituta obligatum esse? Quorum auctoritas quanta fuerit *Gregorio M.* haec eius verba indicant: *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me facit: Cunctas vero, quas praefata veneranda concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur, amplector: quia dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis praesumit aut solvere, quos religant, aut ligare, quos solvunt. Et ne vos diu morer, ita *Leo M.*, ita *Iulius I.*, ita ceteri demum Pontifices senserunt omnes, qui primis saeculis rei christianae praefuerunt, quorum de se potestateque sua ingenuam ac moderatam confessionem dum expendo, eamque contendo cum studiis doctorum quorundam iunioris aetatis, saepe illud venit in mentem *Card. a Tur-recremata* praclare dictum: *Mirum est, quod sancti Pontifices loquantur moderate de potestate eis data, et quidam doctorculi sine aliquo vero fundamento volunt adulando eos quasi aequiparare Deo.**

SCHOL. De qua re lectu omnino dignissima est *Card. Contareni* epistola *Paulo III.* inscripta. Non sum ego tam temere petulans, ut in horum censum referam *Card. Orsium* scriptorem eruditissimum; sed nescio tamen, an non humani aliquid passus sit, quando in *diss. de Eccles.*

<sup>1</sup> In epist. ad Episc. Dard.

<sup>2</sup> Epist. 25. lib. 1.

<sup>3</sup> Du-Pin *diss. 6. §. 3. pag. 392.*

*cles. monarch. forma pag. 634.* veterum Romanorum Pontificum testimonia, qui se non violatores et infractores, sed custodes et executores canonum profitentur, non alio spectare disputat, quam ut ostendant, Pontifices aequae ac supremum quemque Principem, quum apostolicum thronum conscendunt, ad suum profiteantur officium pertinere custodire canones diuturna observantia consecratos, et ut ab omnibus observentur, vigilem curam impendere. Est haec quidem haud dubia, eaque praecipua primatus illius pars, ut alibi doceo; at vereor tamen, ne dum nimium emollire interpretando veterum dicta conatur, et in suam detorque, quam propugnare adgressus est, sententiam, efficiat id, ut videantur dixisse nihil, saltem non pro eo tempore, quo scribebant. Gregorius M. in epist. 18. lib. 5. ad Ioannem Constantinopolitanum: *Ego, inquit, quidquid facere humiliter debui, non omisi, sed si in mea correptione despicior, restat, ut Ecclesiam debeam adhibere.* Nonne manifestum ex his est, maius esse atque superius Ecclesiae tribunal tribunal Pontificis? Certe quidem manifestius, quam ut commentitia vindicis Anti-Febronii interpretatione vis eius infringi possit. Conf. illum *part. 2. diss. 4. cap. 6. §. 13.*

## §. LXXVI.

*Differt ab imperio civili.*

Qui omne ab Ecclesia imperium removere maxime student, eos video per se in hoc eniti potissimum, ut imperium, quale in rebus publicis obtinet, in Ecclesia nullum esse probent. Quod quidem probare est id, de quo nulla esse potest disceptatio. Quis enim non fateatur, quod est perspicue a Christo ipso traditum, quod *Patres* centies docuerunt, quod res ipsa et natura-

tura christianae societatis prorsus deponit? Distat imperium sacrum a civili, non *origine* quidem, nam utrumque a *Deo* est; sed *sine* primum, quippe illud quidem aeternam humani generis, hoc autem temporalem vitae istius felicitatem spectat (§. VI.); tum *mediis*, quae in Ecclesia *spiritualia* sunt et *lenia*, in civitate *corporalia*, et quum res efflagitet, *violenta* interdum, praecipue vero administrandi *modo*. Ecclesia volentes regit, non invitos; non terrore sublicit, sed doctrina; nec corpora custodit ad mortem, verum animas ad vitam servat 1. Abest ab illa omnis dominatus: abest *dominium*, quod vocant, et *potestas* *ominens* 2: imperium relinquitur *charitate* temperatum et *ministerio* simile ad exemplum *Servatoris*: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat* 3. Quod respiciebat *Origenes* hom. 6. in *Isai.* aiens: *Qui vocatur ergo ad Episcopatum, non ad principatum vocatur, sed ad servitum totius Ecclesiae: Quia in Ecclesia servus sit omnium, qui praees, suadeat tibi ipse Salvator et Dominus, qui talis tantusque factus est in medio discipulorum, non quasi discumbens, sed quasi ministrans.* Neque haec tamen tanta imperii istius moderatio quidquam impedit, quo minus ut est ita, verum etiam imperium dici possit (§. LXXIII.).

SCHOL. I. Verum imperium non oritur, nisi dum omnes subditi voluntatem suam in unius voluntatem resolvunt (*Canzius in discipl. moral. §. 1109.*): qualis voluntatum resolutio in Ecclesia locum habere non potest, ut quae ad coleendam religionem inita est, in qua pacto subditi conscientia nequit. Breuning, in *prim. lin. tur. eccles. cap. 1.* Turpe enim est omne de religione pactum, per quod quis fidem suam in alterius hominis confert arbitrium. Virtutis, pietatis, religionis totius

Q

1 Hieron. epist. 34.

2 Luc. cap. XXII. 26.

3 Luc. loc. cit. 27. II. Corinth. IV. 5.

tius principium est honesti rerumque divinarum intelligentia, quae suaderi quidem et docendo instrui potest, imperio ac vi extorqueri non potest. Nettelblatt in elem. iurisp. natural. part. 2. lib. 3. §. 736. Haec fere sunt, aut ad haec reduci saltem possunt omnia, quae oblici imperio sacro cum aliqua specie possunt; de quibus vid. Casp. Barthel in tract. de eo, quod circa liber. exercit. relig. ex lege div. iustum est cap. 9. Schmidt Inst. iur. eccl. cap. 1. sect. 1. §. 1. et 2.

SCHOL. II. Nam quod alii ad verum imperium ius etiam vitae necisque desiderant, id vero nescio quam recte fiat. Dicant hi nobis (verba sunt Zalweinii tom. 4. princ. iur. eccl. pag. 86.) quare potestas imperii necessario iure gladii vitae et necis debeat esse armata? Quid si Dominus Deus, qui solus est auctor vitae et necis, sibi soli ius gladii reservasset, de cetero autem imperium aliis mediis compulsoriis armasset, et in imperantes cetera omnia iura alias maiestati adnexa transtulisset? Dicant nobis, quare solum ius vitae et necis potestatem imperii constitui? Si dicant, quod hoc solum sit medium, quo homines in suo officio contineri, et ipsa respublica contra iniustos adgressores conservari valet et debet; replicamus, ne quidem hoc ipsum remedium esse sufficiens ad hominum malitiam coercendam. An non dantur hominum facinorosi, fures, raptores, homicidae, qui ne quidem poenam mortis curant? Dein si id ad conservandum statum necessarium esse dicamus, omnes profecto respublicae minores cessabunt esse respublicae, quia necessario debent succumbere civitatibus maioribus praepotentia praevalentibus, hoc ipso quod efficacibus resistendi remediis destituantur. Suscipit ergo potestas imperii maius et minus, nec consistit in indivisibili. Quare ergo ille non deberet habere potestatem imperii, qui habet ius ferendi leges, dicandi poenas, sola mortis poena excepta, efficiendi, proscribendi e communitate, omnibus-

que

que iuribus ad cives et membra reipublicae pertinentibus privandi?

§. LXXVII.

*Ecclesiam efficit societatem inaequalem.*

Verum autem in Ecclesia sua imperium si Christus instituit, in aperto est, societatem christianorum rectoriam esse et inaequalem societatem, in qua proinde sint alii quidem qui imperent, alii qui obediant (§. XIII. seq.). Ac Bohmerus sane non diffitetur, iam aevo Cypriani id moris passim fuisse receptum, ut Episcopi coetibus suis praecessent cum imperio. Tot enim sunt ac tam luculenta S. Martyris in hanc rem testimonia, ut in aliam sententiam nulla possint interpretatione commode detorqueri (§. XXXIV.). Verum reperit Boehmerus, quo a se auctoritatem Cypriani everti posse sperabat: scilicet aetate Cypriani id factum ait vir doctus ambitione Episcoporum, ut schema politicum in ecclesias introducere sensim niterentur<sup>1</sup>. Sed non animadvertit schema hoc, quod ille politicum vocat perperam (§. LXVII.), multo Cypriani temporibus esse antiquius, atque ad ipsa Apostolorum tempora referri oportere (§. XXI.). Nihil enim apud Irenaeum, Ignatium Martyrem, ac Clementem Romanum, imo ipsum Apostolum frequentius, quam obediendum esse Praepositis Ecclesiarum; illis nos subditos esse oportere; sine sententia eorum nihil in Ecclesia esse faciendum<sup>2</sup>. Quae si, quod Boehmerus non negat, in epistolis Cypriani potestatem Episcoporum verumque imperium designant: e duobus alterum fateatur necesse est, aut ipso iam Apostolorum aevo regimena a Christo institutum Episcoporum ambitione turpiter corruptum fuisse, quod absurdum est; aut

Q 2

id

<sup>1</sup> In obr. ad Petr. de Marca lib. 2. cap. 3.

<sup>2</sup> Bingham orig. eccl. lib. 2.

id ipsum, de quo testis est *Cyprianus*, imperium a *Christo* traditum *Apostolis* ad horum successores dimanasse. Nempe ut in *Carthaginensi concilio* de baptismo III. legitur: *Apostolis nos successimus eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes.*

SCHOL. I. Si quis potestatem initio in nuda sitam directione, sensim auctam, et iam aevo S. *Cypriani* in aliquam imperii speciem abiisse dicat, is profecto parum aut nihil dixerit, inquit *Zallwein*, tom. 4. princ. iur. eccles. pag. 95. Siquidem imperceptibile est, quod amplissima illa potestas *Apostolis* concessa, et sine ulla contradictione ab illis liberrime in usum deducta consultiis sanioribus philosophiae et iurisprudentiae regulis, maxime si ea omnia, quae *Apostoli* ordinarunt et disposerunt, in unum veluti cumulum coniciantur, fuerit mera potestas directiva omni imperio destituta; ubi nam terrarum illa societas, in qua est tanta potestas directorum, ut ipsis solis, non consultiis sociis ius aequale habentibus, omnia et singula ordinare, disponere, statuta condere, negotia publica privative administrare, et magistratus constituere liceat? In omnibus collegiis et societatibus aequalibus ex communi praxi, consuetudine, et observantia frequentiores habentur conventus, et in his communi suffragio tractantur negotia, deciduntur causae, conduntur statuta, dispensantur officia, distribuuntur ministeria, et bono societatis ac sociorum omni meliori modo providetur, quin Directoribus praeter ius relationis cum praerogativa voti informativi aliud ius competat, ut adeo ad ipsos nihil aliud pertinere videatur, quam ut ad conventus referant, proponenda proponant, negotia dirigant, decreta executioni simpliciter mandent. Anne tale quid factum legimus a *Christo* et *Apostolis*? Non nisi semel, aut ad summum bis celebrarunt concilium, et ad id vel totum coetum, vel seniores convocarunt, cetera omnia excluso coetu privative disponunt (§. XXXVII. in sch.).

SCHOL.

SCHOL. II. Amplius itaque aliquid, quam ius nuda directionis in *Apostolos* collatum fuisse negari vix potest. Neque enim verum est, omne penitus imperium in sacris improbasse *Christum Luc. XXII. 25. 26.* dum ait: *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic; sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator.* Quod non diffitetur praeter alios et Protestantium communique *Phil. Jac. Hartmannus* de reb. gest. christ. sub *Apostolis cap. 3.* Si *Christus* omnem imperantium ordinem in sua republica, id est, *Ecclesia* sublatur voluisset, ait, *Apostoli* hoc itidem placito stringerentur: sed cum gentium solum mores in imperando damnavit, ordo imperantium aequae ab *Apostolis* quam ab aliis fidelium geri potuit, modo non gentilem in modum civilem cum rigore gereretur, uti contextus ipse hanc mentem esse *Servatoris* legenti suggeret (§. LXXVI.). Quapropter nihil nobis hic locus obest, etsi demus id, quod scribit *Canzius* in discipl. moral. §. 2413. *Ecclesiam* non contineri imperio striete dicto, clarissimis verbis *Christus* significat *Luc. XXII. 25. 26.* ubi manifeste *Apostolorum* officium imperio civili opponitur. *Conf. Natalis Alexander* sacc. I. dissert. 4.

### §. LXXVIII.

Vnde omnis christianorum coetus duplici potestate regitur.

Potest itaque societas christiana non inepte republica ecclesiastica appellari, nec erat, cur ob eam rem tam acri multorum censura dignus putetur, *Marcus de Dominis*. Neque repugnabo pertinacius, si quis sacram hanc rempublicam a civili seiuungere (§. LXXVI.), atque

1 *Zallwein* loc. cit. pag. 86.

que ita duas constituere velit, alteram alteri in rebus sui iuris minime subiecta, ut fieri video a plerisque disciplinæ istius magistris. Malim tamen ego ob eum, qui quoties civilis quaedam societas ad Christum accedit, inter utramque intercedit mutuae caritatis nexum ærissimamque fidei communionem, unam dicere rempublicam christianorum, cui duo præsent Relectores suprema præditi potestate: quorum alter quietem publicam, alter felicitatem æternam humano generi procuret *Apostolo* testante 1. In hunc sensum inquit *concilium Parisinum* sub *Ludovico Pio* celebratum 2: *Principaliter itaque totius sanctæ Dei Ecclesiæ corpus in duas eximias personas, in sacerdotalem videlicet et regalem, sicut a sanctis Patribus traditum accepimus, divisum esse novimus.* Et concilium ad *Theodonis-villam* eiusdem ætatis cap. 2: *Quia bene nostis ab illo, qui solus merito et Rex et Sacerdos fieri potuit, ita Ecclesiam dispositam esse, ut pontificali auctoritate et regali potestate gubernetur.* Similiter *Isidorus Pelusiota* 3 iam dudum ante ex sacerdotio et regno aiebat rerum administrationem conflata esse. Quamvis enim permagna utriusque differentia sit (illud enim velut anima est, hoc velut corpus) ad unum tamen et eundem finem tendunt, hoc est, ad hominum salutem. De *Marca de conc. sac. et imp. lib. 2. cap. 1.* Hanc eruditissimi *Præsulis* sententiam non videtur penitus adsequutus *Hen. Boehmerus obs. 1. ad cit. loc.*

SCHOL. Ita ego Patrum ingenuam simplicitatem potius quam actatis nostræ subtile acumen sequutus vitare mihi posse videbar perplexas illas et ambiguas pleurumque disceptationes, quæ de duarum inter se rerum publicarum habitu agitari solent; utra scilicet earum sit in altera? quæ prior? quæ posterior? an altera alteri sub-

1 *I. Tim. cap. II. ad Ephes. cap. IV.*

2 *Lib. 1. cap. 3. tom. 4. conc. Hard. pag. 1297.*

3 *Lib. 3. epist. 249.*

subordinata? an sibi coordinata? Quæ quidem omnes sacram Ecclesiæ politiam nihil illustrant, obscurant autem et implicant permultum, occasionemque præbent hominibus ingenio validis comminiscendi multa, quæ difficilem quandoque ingenuis etiam viris veritatis explicationem efficiunt. Ingeniose hoc in argumento ludit Auctor *Anti-Febronii vindicati part. 1. diss. 2. §. 13.* ubi inter alia vultu prorsus ad docendum composito, *Ecclesiam, si rem accurate perpendimus, statu antiquorem esse lectorem suum iubet credere. Immo quæ post beatissimum Christi adventum constituta est Ecclesia, quum eadem sit, quæ præteritorum temporum Ecclesia (§. IV.), ubi imperium aliquod regnumve ingreditur falsis religionibus deditum, non nisi ius suum recuperat, quod idolorum cultus ac superstitioni illi eripuerat. Nam quum homines vera religione deserta Ecclesiam, in cuius gremio societatem inierant, per summum nefas eiecerint, Ecclesia in regiones superstitionis cultu contaminatas inuicta non tam illas adire dicenda est, quam eo redire, unde malitia hominum facta fuit extorris.* Scire ego pervelim, an eruditus vir hoc quoque a sanctis Patribus traditum acceperit?

## §. LXXXIX.

Quarum utraque summa est et independens.

Supremam utriusque Relectoris potestatem deliberate dixi iustaque de causa: utraque enim Deo immediata, neutra alteri subiecta est in his, quæ sunt sui iuris. Ita enim *Gelasius P.* in epistola ad *Anastasio Imp.* apertissime docuit 1: *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas.* Utraque principalis, suprema utraque, neque in officio suo alteri ob-

1 *Tom. 1. concil. Hard. pag. 893.*

obnoxia est 1: quod ipsum etiam in libro de anathematis vinculo adfirmat luculentissime (§. LXXIV.). *Gelasio* adsentitur prorsus *Symmachus* in apologetico adversus *Anastasium* 2: *Conferamus*, inquit, honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum. Tu Imperator a Pontifice baptismum accipis, Sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, poenitentiam rogas, postremo tu humana administras, ille tibi divina dispensat: itaque, ut non dicam superior, certe aequalis honor est. Eadem disertissime tradit *Gregorius II.* in epistola ad *Leonem Isaaurum* 3: Non sunt Imperatorum dogmata, sed Pontificum, quoniam Christi sensum nos habemus. Alia est ecclesiasticarum ordinationum institutio, alia intelligentia saecularium. In administrationibus saeculi quem habes sensum, in spiritualibus dogmatum administrationibus habere non potes. Et ecce tibi scribo discrimina palatii et ecclesiarum, Regum et Pontificum. Agnosce illa et salvare, nec contentiosus esto: Nam quemadmodum Pontifex introspectiendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deserendi; sic neque Imperator in Ecclesias introspectiendi, et electiones in clero peragendi, neque consecrandi, vel symbola Sacramentorum administrandi, sed neque participandi absque sacerdotis opera. Sed unusquisque nostrum, in qua vocatione vocatus est a Deo, in ea maneat. Nihil dici, nihil scribi explicatus potuit, ut intelligeretur, duas istas potestates ita muneribus, atque officiis a Christo disiunctas esse, ut nec temporalis potestas in temporalibus ecclesiasticae, nec ecclesiastica in ecclesiasticis temporali ullo modo subiecta sit.

SCHOL. Neque ex eo, quod Reges pro aeterna vi-

- 1 Episc. in comment. ad Gratian. ad dist. 96. can. 10.
- 2 Tom. 5. conc. Labb. pag. 426.
- 3 Tom. 4. conc. Hard. pag. 15.

ta Pontificibus indigent, ut ait *Nicolaus P.*, et Pontifices pro cursu temporalium rerum imperialibus legibus utuntur, recte quis colligat, potestates ipsas sibi mutuo in ordine rerum vel spiritualium vel temporalium subditas esse, ut scite advertit *Du-Pin de antiqua Eccles. discipl. diss. 7. in praefog.* Magnum enim discrimen est, inquit, inter ipsam potestatem et eum qui potestate utitur, ita ut fieri possit, ut is, qui potestate utitur, sit subiectus alteri potestati, quavis potestas illa, quam exercet, nulli potestati subiecta sit, cet. Quapropter inscienter Auctor *Anti-Febronii vindicati part. 1. pag. 243.* ex hoc quod Principes in rebus sacris formam Ecclesiae sequi debeant, ut *Pelusiota* dicebat, et *Gelasius in causa fidei Episcopus solere de Imperatoribus christianis iudicare* scripserit, argumentum ducebat, ut ostenderet, civilem potestatem ecclesiasticae in his, quae spiritualia sunt, obnoxiam esse, ac proinde statum esse in Ecclesia: inscienter, inquam, haec scripta sunt, perinde ac si ego, quod *Nicolaus P.* doceat Pontifices pro cursu temporalium rerum imperialibus legibus uti, et *Chrysostomus* omnes et Sacerdotes et Monachos sublimioribus potestatibus subditos esse traderit, hinc colligam, potestatem ecclesiasticam in temporalibus obnoxiam esse civili, atque adeo Ecclesiam esse in statu, non potestatem in Ecclesia. Non itaque falsae sunt praeconceptae opiniones politicorum, ut vir hic politus scribit, sed falsa est et ridicula *Anti-Febronii* opinatio, quae traditioni adeo non consentit, ut nulli rei magis adverteretur.

## §. LXXX.

Quod nihil repugnat.

Ergo duae erunt, ais, eadem in republica summae potestates? Ergo vero aio, inquam. Nam geminam eam-

R

que

que independentem in eodem genere potestatem ponere, habet aliquid repugnantiae; duas tamen summam in diverso genere, quid quaeso habet adversum rectae rationi? *Wolffius*, quem post *Leibnitium* in hac parte philosophiae principem omnes, qui sapiunt, reputant; *Wolffius*, inquam, ipse hoc ingenue adserit: *Qui absurdum putant*, ait <sup>1</sup>, *ius circa sacra separatum ab imperio civili esse, quasi respublica in republica fingatur, iudicium omnino praecipitant, nec absurditatem demonstrare valent. Sane in republica Hebraeorum ius circa sacra erat penes Pontificem maximum, imperium civile penes Regem, et uterque ius suum habebat pleno iure ac independentem ab alio. Equis vero dixerit, hoc institutum fuisse absurdum, etiamsi seponas, quod fuerit divinum. Conf. Zalwein tom. 3. quaest. 2. cap. 5. §. 10. cuius tamen omnia nolim mea facere.*

Schol. Sed ita status tamen in statum inducetur, quod imperio civili maiestatique summorum imperantium vehementer adversum est. Ego vero adversi video prorsus nihil. Scio, qui isthoc catholicis obiiunt, quid sibi velint. Statum scilicet ecclesiasticum, in quo sacrorum Antistites praeter religionem animarumque salutem rerum temporalium et negotiorum partem maximam suae iurisdictioni subiiunt; personas, res, bona ecclesiastica omnia imperio civili penitus subducunt; se suasque divino iure exemptos contendunt; iurium bonorumque civilium communiione se excludi non ferunt, respiciunt autem onerum tributorumque omne genus; postremo Reges etiam summos ac regna suae potestati directe vel indirecte obnoxia esse volunt; Reges deponunt; regna dividunt: hunc inquam statum cum civili statu componi nullo modo posse contendunt, quod quidem faciunt aequo Iove, consentientibus e communiione catholicorum doctissimis tam Theologis quam Iurèconsultis. Sed hic status nec a Christo est institutus,

<sup>1</sup> Part. 8. iur. nat. §. 255.

tus, nec a SS. Patribus traditus: neque talem unquam Ecclesia sibi Catholica vindicavit. Hunc temporum barbaries et ignavia peperit, aluit ignorantia, et scholasticorum otiosa sedulitas ornavit, renitentibus nullo non tempore doctissimis iuxta ac sanctissimis hominibus. Status sacri, qualem Servator esse voluit, lex haec est fundamentalis: *Dare Caesari, quae sunt Caesaris, et quae sunt Dei, Deo.* Secundum quam relicta summis Principibus integra rerum profanarum cura et administratione, religionis tantum et salutis internae negotia ad suum principatum revocat; imperium Regibus a Deo commissum ipsi etiam religionis Antistites tanquam subditi colunt, leges eorum venerantur, tributum pensant, ceteraque faciunt omnia boni civis officia, a quibus nullam elementia Principis immunitatem est imperita. Talis autem quum sit Ecclesiae christianae status, quum non irrumpat in alienum officium, non transferrat regna mundi, non abroget leges magistratum, non tollat legitimam obedientiam, non impediatur iudicia de ullis civilibus ordinationibus aut contractibus, non praescribat leges magistratibus de forma reipublicae, sicut dicit Christus: *Regnum meum non est de hoc mundo. Item: Quis constituit me iudicem, aut divisorem super vos? Et Paulus ait Phil. III. Nostra politia in coelis est. II. Corinth. X. Arma militiae nostrae non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destruendas cogitationes, et.* ad hunc modum quum Ecclesia nostra utriusque potestatis officia discernit, utramque honore adscit, utramque Dei donum et beneficium esse agnoscit <sup>1</sup>; possuntne eum Protestantes repudiare, nisi maiorum una suorum confessionem de potestate ecclesiastica Augustae Vindellicorum editam repudiare velint, aut opinationes hominum vitiaque per summam iniuriam Ecclesiae ipsi catholicae imputare?

<sup>1</sup> Verba sunt mutuata e confes. Augustanae ann. 1530.



## CAPVT VIII.

## DE FORMA IMPERII SACRI.

## §. LXXXI.

*De subiecto imperii sacri.*

**E**cclēsiam Christi societatem esse rectoriam ac summa quidem potestate praeditam, quae usitato in sacris nomine *clavium potestas* dici solet, superiore capite demonstratum est. Restat, ut penes quem sacrum hoc ac supremum imperium resideat, et quae sit canonica ecclesiastici regiminis formula, investigemus.

SCHOL. Imperii forma quum varia esse possit arbitrato eorum, qui in societates coeunt, tum vero triplex praecipue in rebus publicis usitata est, *monarchica* scilicet, *aristocratica* et *democratica*. Hae dicuntur formae *simplices*. Quae ex tribus aut duabus saltem aliquid participant, *mixtae* vocantur, cuiusmodi est *monarchico-aristocratica*. Distat ab hac *monarchia limitata*, quae non ex divisione iurium, sed ex eorum circumscriptione legibus exercitio nascitur. Factum esset utique et rectius et utilius, si, qui de regimine sacro Ecclesiae commentati sunt, exemplo sanctorum Patrum ab his vocum profanarum notionibus ad rerumpublicarum formam quam Ecclesiae declarandam aptioribus abstinuissent. Quoniam tamen in usum semel receptae sunt, utemur iis et nos, ea tamen cautione, ut non putemus, ullam ex his satis congruam esse ad eam exprimendam regiminis formulam, quam Christum Ecclesiae suae praescripsisse a Sanctis Patribus traditum est.

## §. LXXXII.

## §. LXXXII.

*Veterum quorundam Theologorum sententia.*

Clavium potestatem *Christus* in quem *proxime*, ut aiunt, atque *immediate* contulerit, non una est nec Theologorum nec Iurisperitorum sententia. Vna veterum est quorundam, sed paucorum *Turrecrematae* fortasse 1 et *Iacobatii* solius 2, quibus *Apostolos* non a *Christo* immediate, sed a *Petro* potestatem, quam exercuisse leguntur, iurisdictionemque accepisse, totumque adeo imperium sacrum in unum *Petrum* collatum fuisse a *Domino*, serio creditum est. Hanc opinionem refellit *Bellarminus* 3 non immerito: est enim, si qua alia divinis litteris adversa liquidissime. *Apostolos* instituit *Christus* vocans discipulos suos, et eligens duodecim ex ipsis, quos et *Apostolos* nominavit 4. His ait: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* 5: his ligandi peccata solvendique potestatem ipse Dominus imperitus est 6. Vnde *Paulus* se Apostolum dicebat non ab hominibus, neque per hominem, sed per *Iesum Christum* 7. Conf. *Tournellius*, *Colletus*, *Iueniu*, et alii Theologi recentiores.

## §. LXXXIII.

*Quam et quidam recentiores non prorsus deserunt.*

Haec itaque sententia prorsus repudianda est. Alios, quod

- 1 *Sum. de ecclē. lib. 2. cap. 54.*
- 2 *Lib. 10. de conc. art. 7.*
- 3 *Lib. 4. de Rom. Pont. cap. 23.*
- 4 *Luc. cap. VI. 13.*
- 5 *Ioann. cap. XX. 21.*
- 6 *Matth. cap. XVIII. 18.*
- 7 *Gal. cap. I.*

quod nimis esset perspicue in sacris litteris traditum, quam ut possit in dubium revocari, potestatem clavium *Apostolis* ab ipso esse collatam *Servatore* (§. LXXXII.), aliam eamque geminam viam ingressos reperio. *P. Viator a Cocaleo*, qui sub commentitio *Itali* nomine volumen epistolarum haud exiliter adversus *Iust. Febronium* elucubravit, potestatem clavium, quam *Christus* immediata missione iis tradidit, non tam spectasse ait iurisdictionem fori *exterioris* quam *interioris* : quae interpretatio a superiore illa *Iacobatii* refutata a *Bellarmino* haud multum distat, sed nec minus a veritate aliena. Equis enim *Sanctorum Patrum* in sacrae Scripturae memoratis locis interpretandis hoc usum discrimine usus est, ut relicta *Apostolis* ceteris interna iurisdictione (§. LXIV.) uni *Petro* externam adiudicet? Imperii sacri vim summam in iure excommunicandi sitam esse ex *Matthaeo* constat (§. LXXI.): id autem ius, quod procul omni dubio ad externum forum pertinet, *Apostolis* a *Domino* immediate tributum esse ex iis manifestum est, quae subiiciuntur proxime apud *Eyangelistam*: *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligatae et in coelo*. Quid *Paulus*? *Ecclesias* ordinat, *Episcopos* instituit, leges rogat, delicta coërcet. Quo iure? nempe iure apostolatus, quod se non ab homine, verum a *Iesu Christo* accepisse contra aemulos probat (§. LXXXIII.). An haec quoque *Italo* huic Theologo interiori magis quam exteriori forum spectasse videntur?

## §. LXXXIV.

*Contra Patrum mentem.*

Et quid tandem bonus vir hic *SS. Patribus* faciet illis, qui quas *Christus* dedit *Petro* principaliter, eadem

x Pag. 39.

dem claves *Apostolis* quoque ceteris datas fuisse discretissime tradiderunt? Innumera sunt in hanc sententiam eorumdem testimonia, ex quibus adscribo paucos. *Cyprianus* in libro de unitate Ecclesiae: *Loquitur Dominus ad Petrum: Tu es Petrus :: Tibi dabo claves regni coelorum :: Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat, sicut misit me Pater, et ego mitto vos :: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti honoris et potestatis. Basilius 1: Petre, inquit, amas me plus his? pascere oves meas. Et omnibus deinde pastoribus ac magistris eandem tribuit potestatem. Ambrosius 2: Dominus dedit Apostolis peccata solvenda :: Audi dicentem: Tibi dabo claves regni coelorum :: ut et solvas et liges :: Quod Petro dicitur, Apostolis dicitur. Hieronymus 3: At dicit: Super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves regni coelorum accipiant. Similia Augustinus 4: Dominus Iesus discipulos suos ante passionem suam elegit, quos Apostolos appellavit. Inter hos pene ubique solus Petrus totius Ecclesiae meruit gestare personam. Propter ipsam personam quam totius Ecclesiae solus gestabat, audire meruit: Tibi dabo claves regni coelorum. Has enim claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiae :: Nam ut noveritis Ecclesiam accepisse claves regni coelorum, audite in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis: Accipite Spiritum Sanctum, et continuo, si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei; si cuius tenueritis, tenebuntur. Hoc ad claves pertinet, de quibus dictum est, quae sol-*

1 Monast. Const. can. 21.

2 Enarr. in Pral. XXXV III. n. 37.

3 Lib. 1. cont. Iovin. n. 16.

4 Serm. 295, alias 108. de div. cap. 2.

*solveritis in terra*, cet. Nonne perspicua sunt haec in primis, minimeque ambigua? quid igitur? an potestas clavium tributa Petro forum dumtaxat internum spectabat? aut si haec non, cur magis reliquorum Apostolorum?

Schol. Addi his possunt Cyrillus Alexand. *lib. 12. in Ioann. S. Leo serm. 3. in annivers. assumpt. suae.* Eucherius Lugd. *homil. de natali Petri. Beda lib. 4. cap. 16. in Matth. alique prope innumeri. Du-Pin de antiq. Eccles. discipl. diss. 6. §. 1.*

## §. LXXXV.

*Bellarmini et aliorum sententia.*

Peropportune his intercedit *Astor vindicati Anti-Febronii. Vere*, inquit ille 1, *Patres adserunt, claves fuisse non soli Petro, sed ceteris etiam Apostolis traditas; sed aliae claves sunt, quas Petrus cum Apostolis accepit, aliae quae uni ipsi fuerunt concessae.* Et ne diu nos suspensos teneat, *claves*, pergit, *Apostolis commissas fuisse claves extraordinariae cuiusdam potestatis, quae in ipsis quemadmodum apostolatus, cui intrinseca fuit, extinguenda erat: contra ordinariae potestatis in ipsis quoque Apostolos fuisse claves Petri, quae proinde ad eius successores, ac per hos etiam ad Apostolorum successores Episcopos in perpetuum universae Ecclesiae commodum permansurae transmitti debuerunt.* Nam *vel ipsa, aut porro, episcopalis potestas, quae extraordinariae illius pars magna fuit, etsi cum Apostolis interire non debuit, sed semper in Ecclesia perstare (quo illa Christi spectant: ecce ego vobiscum, id est, cum illis quoque, qui post vos pastorum munere fungentur, usque ad consummationem saeculi) non tamen per Apostolos transferri debuit,*

sed

1 Part. 1. diss. 2. cap. 2. §. 6.

*sed per Petrum, qui claves solus ceteris (praeter Apostolos) communicandas accepit.*

Schol. Quae acuti vindicis dicta quo pertinent, facile quisque, qui vel modice in his est studii versatus, potest animadvertere. Huc nempe, ut ex quo e vivis sublatis sunt Apostoli, omnem regendam Ecclesiae potestatem a Christo perpetuum institutam penes unum Ecclesiae Romanae summum Antistitem constituisse lectoribus persuadeat: quae iam dudum Baronii, Bellarmini, Charlasii aliorumque sententia fuit. Omne itaque, si his viris credimus, imperium sacrum Romano Praesuli a Christo traditum est: quandoquidem autem unus superesse coetui universo non possit debite, cogitur ille quidem plures alios in partem vocare pastoralis sollicitudinibus, sed potestate instruendos pro arbitratu arctiore laxioreve, eaque ab imperio summi Pastoris in omnibus dependente. Quo efficitur, ut quemadmodum unus est dumtaxat pastor, unus grex, ovile unum, unumque imperium; ita una etiam sit tantum totius orbis dioecesis, in quo sub uno summi Pontificis episcopatu ceteri omnes tamquam vicarii suam quisque dominici gregis portionem pascit. Atque, ut dicam paucis, in uno illo Romani Pontificis episcopatu stabiliendo haec cuncta desinunt: quem, quia est ecclesia Romana modestia et in sorores suas aequitate, nec nunc sibi vindicat, et olim per Gregorium M. non sine quadam indignatione repulit. Conf. Petr. Collet. *Instit. theol. tom. 2. traët. de Eccles. quaest. 5.*

## §. LXXXVI.

*Refellitur ex Patribus.*

Quae quam procul absint a sincera Patrum traditione, nullo potest negotio demonstrari. Ac primum quidem, *claves Apostolis commissas extraordinariae cuiusdam*

S

dam potestatis fuisse apostolico muneri intrinsecæ, ita ut cum eo extingui illam necesse fuerit, sine omni ista ratione contendit *Anti-Febronii* sui vindex. Contra autem eas omnibus, qui post deinde futuri essent christiani populi rectores, in *Apostolis* traditas fuisse, communis omnium *Patrum* doctrina est. Non hæc iælo, inquit *Cyprianus* 1, sed dolens profero; quum te iudicem Dei constituas et Christi, qui dicit ad *Apostolos*, ac per hos ad omnes *Praepositos*, qui *Apostolis* vicaria ordinatione succedunt: Qui audit vos, me audit; et qui me audit, audit eum, qui me misit. Ob eam rem *S. Ambrosius* 2: Impossibile videbatur per poenitentiam peccata dimitti. Concessit hoc *Christus* *Apostolis* suis, quod ab *Apostolis* ad *Sacerdotum* officia transmissum est. Et *Nicolaus P. I.* Subiturus tamen ad coelos hanc (*Ecclesiam*) *Apostolis* commendavit, ac per eos tamquam hereditario iure successoribus eorum, nobis scilicet, quos pastores et *Episcopos* ac *Pontifices* super ipsam constituit. Ex quo quidem loco apertum est, quam vere scriptum sit a *P. Zacharia*, episcopalem potestatem cum *Apostolis* quidem extinctam non esse, nec tamen per *Apostolos* transferri ad successores eorumdem *Episcopos*, sed per *Petrum* unum debuisse (§. LXXXV.). Quid enim? an *Episcopi* non sunt *Apostolorum* successores? Atqui hoc adfirmat *Cyprianus*, quum alibi sæpe, tum etiam in epistola ad *Cornelium* 3: Laborare debemus, ut unitatem a Domino, et per *Apostolos* nobis successoribus traditam obtinere curemus. *Firmilianus* 4: Hostes unius *Ecclesiae* catholice, in qua nos sumus, qui *Apostolis* successimus. Concilium *Carthaginense*: Manifesta est sententia Domini nostri *Iesu Christi* *Apostolos* suas mittentis, et ipsis solis potestatem a Patre sibi datam permittentis, quibus nos

1 *Epist.* 69.2 *Lib.* 2. de poenit. cap. 2.3 *Epist.* 42.4 *Epist.* 75. inter *Cyprianicas*.

successimus eadem potestate *Ecclesiam* Domini gubernantes. *Hieronymus* 1: Ubicumque fuerit *Episcopus* sine *Romae*, sive *Eugubii* 2: eiusdem meriti, eiusdem est et sacerdotii 3: omnes *Apostolorum* successores sunt. *Episcopi* igitur, qui ex sententia *Cypriani* vice *Christi* funguntur, et ecclesiis dominicis in toto mundo divina dignatione praepouuntur, et vicarii Domini sunt, ut *Sæctus Ambrosius* ait, quippe ex *Iesu Christi* sententia per terræ terminos definiti, quod *Ignatius Martyr* confirmat: *Episcopi*, inquam, potestatem episcopalem successionis iure, atque immediate a *Christo* principali *Ecclesiae* suæ capite accipiunt, non per *Petrum* nec a Romano Pontifice, ut *Bellarminus* disputat. Quod etiam ex *Apostolo* non obscure colligas *Episcopos* admonente, attenderent sibi, atque universo gregi, in quo eos *Spiritus Sæctus* posuit *Episcopos* regere *Ecclesiam* Dei 4; etsi non nesciam, quantum operæ dederint *Vargas*, *Charlasius*, alii, ut testimonii huius vim, si fieri posset, infringerent. Conf. *Anti-Febr. vindic. part. 1. dissert. 3. cap. 2. §. 6.*

SCHOL. Iuvat adscribere verba *Theologi*, quo nemo feliciter *Thomassino* iudice in huius doctrinae penetraltia inuasit. Ea hæc sunt: *Christum* refert *Episcopus*, et vicem eius in terris gerit, ut sæpe docent *Sæcti Patres*. Sicut ergo *Christi* sacerdotium vim omnem sacerdotalem perfectamque pascendi gregis potestatem complectitur, ita ut varias in ea plenitudinem et perfectione conclusas potestates distinguere quidem discernereque liceat, dissociare vero et inter se quodammodo discernere sit piaculum, non secus ac Divinitatis ipsius doctes perfectionesque ita distinguimus, ut non dividamus: sic episcopatus plenitudinem sacerdotii et pastoralis muneris perfectionem natura sua continet 5: *Christus* enim perfectionem sacerdotii a Patre accepit, quando ab

S 2

illo

1 *Epist.* 146. edit. *Veron.* alias 87.2 *Act.* XX.

illo missus est : perfectionem deinde eiusdem sacerdotii seu episcopalem utramque potestatem simul dedit Apostolis, quando misit eos, sicut ipse a Patre missus fuerat: eamdem denique perfectionem ipsi tradiderunt Episcopis, mittentes eos, sicut ipsi missi fuerunt a Christo. Conf. Nov. et veter. Eccles. discip. part. 1. lib. 1. cap. 2. §. 14.

## §. LXXXVII.

## Objectionibus.

Atque haec diu constans fuit omnium sententia. De episcopalis potestatis causa proxima in Romani Pontificis suprema in Ecclesia auctoritate quaerenda, dogma est priscis Ecclesiae saeculis inauditum: decimo tertio saeculo invahi demum coepit in theologiam, postquam scilicet philosophicis ratiocinationibus agere, quam Patres consulere plerumque maluerunt, ut ait Illust. Bossuetus 1. Verum haec unam probant scriptoris istius confidentiam, inquit vindex Anti-Febronii. Nonne ex Patrum traditione nostram doctrinam inviolate probavimus? Optatum protuli, ait, de Petro scribentem: Praeferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni caelorum communicandas ceteris solus accepit. Recitavi S. Gregori Nysseni verba: Per Petrum Episcopis dedit clavem caelestium honorum. Innocentium I. produxi, quum in epistola ad Carthaginense concilium, tum in altera ad Patres Milevitanos: in quarum altera, a Petro ipsum Episcopatum et totam auctoritatem nominis huius emeris-  
 se ait; in altera vero, Praesertim, inquit, quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et Coepiscopos nostros nominis ad Petrum, id est sui nominis et honoris auctorem referre debere. Addidi Stephani La-

1 Lib. 8. cap. 11.

2 Lib. 7. de schism. Donatist. contr. Parm.

3 Adv. eos, qui cast. agr. fer.

rissaci verba in epistola ad Bonifacium II. Quia Domino dicente tertio, amas me? pasce oves meas, tradidit prius vobis mandatum ostendens, et per vos deinde omnibus per unigenitum mundum sanctis ecclesiis condonavit. Ac tandem Leonem M. adduxi tum in epistola decima, tum in sermone tertio de sui adsumptione ita audentem: Magnum et mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiae suae tribuit divina dignatio; et si quid cum eo commune ceteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit. Haec certe, nisi in alienum omnino sensum detorqueantur, illud ipsum significant, quo S. Thomas episcopalem iurisdictionem a Petro eiusque successoribus immediate proficisci denotavit, cum scripsit promissas Petro fuisse claves, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiae unitatem. Post haec autem quid restat aliud quam ut cum Ioanne Episcopo Ravennate in epistola ad Gregorium M. 2, Petri sedem universali Ecclesiae sua iura transmittere; et cum Rhemensis synodi Patribus auctoritatem Episcopis per beatum Petrum principem Apostolorum divinitus collatam fateamur?

SCHOL. Ita P. Zacharia part. 1. Anti-Febr. vind. dissert. 3. cap. 2. §. 3. pag. 439.

## §. LXXXVIII.

Restat vero, atque illud in primis, quod valde veheor, ne si haec nimis urgeant adversarii, illud consequatur, quod nimis confidenter Jacobatus disputabat, negat autem Zacharia (§. LXXXV.), ne ipsos quidem

1 Lib. 4. cont. gent. cap. 76.

2 Lib. 3. epist. 57. alias 55.

3 Tom. 6. concil. Hard. pag. 466.

dem sanctos Christi discipulos aliunde potestatem suam quam a Petro accepisse (§. LXXXII.). Ut ne tamen, quam repudiant, consecutionem inivitis obrudam, aio, omnibus his Patrum testimonium plus non posse confici, quam apostolatus aequè ac episcopatus instituendi initium in Petro factum esse, seu ut Siricius P. I. scribit, *Per Petrum et apostolatus et episcopatus in Christo coepisse exordium*; et Caesarius Arelatensis in epistola ad Symmachum: *A persona beati Petri Apostoli episcopatum sumsisse initium*. Quod quidem et verum est, et interpretationem efficit perspicuam eius, quod ait Innocentius: *A Petro episcopatum omnemque auctoritatem eius nominis emerisse*; nempe tunc, quando Christus illi personam Ecclesiae gestanti claves regni coelorum pollicitus est. Non enim ut praecipua ad Petrum, ita ad eum solum haec promissio, verum ad omnes etiam reliquos Christi discipulos horumque in regenda Ecclesia successores pertinebat, Augustino docente: *Quoniam omnes essent interrogati, solus Petrus respondit: Tu es Christus: et ei dicitur: Tibi dabo claves: Cum et illud unus pro omnibus dixerit, et hoc cum omnibus tamquam operam gerens unitatis accepit*. Unde fit, ut quum Optatus solum, docet, Petrum accepisse claves ceteris communicandas, et per Petrum Episcopis datas caelestium honorum claves Gregorius Nyssenus: non is sit horum verborum sensus, quasi vel Apostoli auctoritatem suam a Petro, vel Episcopi a summo Pontifice habeant, quod utrumque traditioni adversum est (§. LXXXVI.); sed quod, ut Ambrosius explicite docet, dominicam gregem non solum tunc beatus Petrus, verum et Apostoli, et universum pastorum collegium, consensione tamen et charitate indivulsa cum capite suo, in quo comprehensit et

1 Epist. 5.

2 Baitutenr. §. 406.

3 Traët. 118. in Ioann.

quasi complicati omnes erant, quando divina illum hac potestate ornauit Christus, pascendum susceperint (§. LXXXIV.).

Schol. Elegantissimus in rem meam est Leonis M. locus in epist. 14. \* *Connexio totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit. Et haec connexio totius quidem corporis unanimiorem requirit, sed praecipue exigit concordiam sacerdotum. Quibus etsi dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis: quoniam et inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis; et quum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praemineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provincis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; et rursus quidam in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliolem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiae cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret. Cuius unitatis conservationem a Domino per Apostolos omnibus Episcopis traditam Cyprianus commendat in epistola ad Cornelium P. his verbis: Hoc vel maxime, frater, et laboramus et laborare debemus, ut unitatem a Domino et per Apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus. Conf. Lud. Thomassinus de veter. et nov. eccles. discipl. part. 1. lib. 1. cap. 50.*

## §. LXXXIX.

*Episcopi potestatem suam quando adipiscuntur.*

Quaerit autem porro Zacharia, ne sola pugnet

\* Editionis Ballerianorum, quorum lectionem sequi sumus. Videantur ad hunc locum.

autoritate, quandonam velimus Episcopos a Christo iurisdictionis potestate donari. An in consecratione? at tum potestas quidem ordinis conferitur, inquit, non iurisdictionis, quam ab electis et confirmatis Episcopis, licet non consecratis iure exerceri posse, superiore capite vidimus. Nisi forte adversarii velint tributam prius iurisdictionem iterum in consecratione conferri, quod inane signum esset ad declinandum, si fieri posset, huiusmodi argumentum solummodo excogitatum: Aut, quem eligitur quis et confirmatur in Episcopum, designari personam, cui Deus iurisdictionem ante episcopalem consecrationem impertiatur, quae opinatio viam aperit absurdis signis. Verum nihil his tot signis opus est. Aio itaque, in consecratione potestate non tantum ordinis, sed et iurisdictionis Episcopos a Christo immediate donari. Leve enim est, et ex disciplina sumtum diate donari. Leve enim est, et ex disciplina sumtum iunioris aetatis, quod iurisdictionem Episcopi licet nondum consecrati iure exercent confirmata electione. Verus Ecclesia confirmationem non sciungebat a consecratione: munis fungi iurisdictionis episcopalis, qui ordinem nondum esset adeptus, patiebatur neminem, non ignara scilicet, potestatem episcopalem, tametsi ad varia et multiplicia officia pertinentem, unam tamen esse, indivisam ac perfectam a Christo institutam, ut divelli in partes ac scindi non possit. Proinde iurdictio, quam per confirmationem indipisci hodie dicuntur Episcopi, non est iurdictio episcopali ordini a Christo ipso adnexa et hierarchica, quam sola tribuit consecratio, sed vicaria quaedam et administrativa, qualem ipsa indicat confirmationis formula Hispano descripta in iur. eccles. part. 1. tit. 14. cap. 4. §. 11.

SCHOL.

1. Anti. Febr. vindic. part. 1. lib. 3. cap. 1.
2. Cap. 2. §. 4.
3. Cap. 15. de elect.
4. Hispan. part. 1. tit. 15. cap. 1.
5. Hispan. loc. cit. cap. 4.

SCHOL. At si iurdictio, inquires, divino iure adnexa est ordini episcopali, consequens est, ut et Episcopi titulares iurisdictionem habeant; ut iurdictio Episcoporum restringi, adimi, ampliari non possit; ut ea privati valide tamen peragant omnia, perinde ac valide ordine suo funguntur. Haec autem cuncta tam falsa sunt, quam a canonibus Ecclesiae aliena. Ita est profecto: sed tu vide sis Petr. Colletum praefat. theolog. tom. 7. part. 2. tract. de ordin. cap. 4. pag. m. 354. seqq. Rauttenstrauch. Inst. iur. publ. eccles. §. 408. seqq. et aliorum passim Theologos recentiores, Gallos praecipue, et Iurisconsultos Germaniae.

§. XC.

An inter se quoad potestatem episcopalem differant?

Ita vero sequatur necesse est, inquit Bellarminus, ut Episcopi, sicut ordo est idem omnium, ita etiam iurisdictionis aequalem omnes potestatem acciperint, cumque non certis dioecesium limitibus circumscriptam, sed per universam Ecclesiam pertinentem, qualis Apostolorum fuit, quorum illi locum obtinent. Atqui hoc ita est profecto. Aequalem omnibus Episcopis a Christo datam fuisse potestatem, sicut aequalis (salva Petri prerogativa) data fuit Apostolis sanctorum Patrum testatissima doctrina est, quam post Nic. de Cusa, Franc. de Victoria, Dom. Sotum, Card. Bellarminum ipsum, aliosque veteres Theologos vehementer probant Petr. de Marca et Lud. Thomassinus multis in locis apertissime. Ut paci mutuae et populorum saluti consuleretur, amplitudo haec potestatis ad dioeceses singulas canonibus coarctata est quidem; verum etsi, inquit Epiphanius 3,

T

sin-

1. Vid. caus. 24. quaest. 1. can. 18.
2. De iug. prim. Petr. §. 4.
3. In epist. ad Ioann. Hierosolym.

singuli ecclesiarum Episcopi habent sub se ecclesias, quibus curam videntur impendere, et nemo super alienam mensuram extenditur; tamen praeponitur omnibus charitas Christi, in qua nulla simulatio est. Rationem Cyprianus dabit in epistola ad Stephanum 1, copiosum corpus est Sacerdotum, aiens, concordiae mutuae glutino, atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro haeresim facere, et gregem Christi lacerare et vastare tentaverit, subvenient ceteri: Nam etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus, et oves universas, quas Christus sanguine suo et passione quaesivit, colligere et fovere debemus. Quocirca apte unum esse episcopatum dicebat, cuius a singulis in solidum pars tenetur. Neque est, quod sibi de primatu metuat Bellarminus, quasi cum iurisdictione Episcoporum immediate a Christo accepta cohaerere non possit: quam vanam suspensionem iam olim tertio Ecclesiae saeculo proscripsit S. Cyprianus.

SCHOL. In eodem de unitate libro, dum sic ait Loquitur Dominus ad Petrum: super hanc petram: Tibi dabo claves: Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata: tamen ut unitatem manifestares, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.

Conf. Gasp. Iucini: in comment. de sacram. diss. 9. quaest. 1. art. 3.

## §. XCL.

- 1 Edit. Balux. 67.
- 2 Lib. de unit. Ecclesiae.

## §. XCL.

Subiectum immediatum imperii sacri quodnam est?

Enimvero honoris istud auctoritatisque par consortium nihil impedit eam potestatis discretionem, quae existit ex primatu (§. LXXXVIII.): cuius quidem vis haec est, ut etsi suam singuli Episcopi a Christo potestatem habeant immediate, eamque in parte domini gregis sibi a Spiritu Sancto commissa in solidum exercent (§. XC.): cum quodam tamen ad primatum subordinatione, et in ea, quae est catholicae Ecclesiae propria (§. XII. XIII.), tum inter sese, tum etiam cum visibili corporis totius capite sancta communionem exercere debeant. Hoc enim est, quod S. Hieronymus ex aequo super omnes Apostolos Ecclesiae firmitudinem solidari aiebat: unum tamen inter duodecim electum fuisse, ut schismatis tolleretur occasio: seu ut, quod Optatus scribit, in una cathedra Petri unitas ab omnibus seruetur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem catholicam alteram collocaret. Atque hoc ipsum Episcoporum universum corpus per fidem et charitatem in suo capite coniunctum, ea est unitas, cui a Domino imperium a Patre sibi creditum immediate collatum fuisse Augustinus praeceteris inluculentius adseruit: Has claves, inquit, non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiae. Hinc ergo Petri excellentia praedicatur, quia ipsius universitatis et unitatis Ecclesiae figuram gessit, quando ei dictum est, tibi trado, quod omnibus traditum est. Et alibi: Non enim sine causa inter omnes Apostolos huius Ecclesiae

T<sub>2</sub>

- 1 De Marca, de sing. Petr. §. 5, seqq.
- 2 Lib. 1. adv. Iovin. n. 26.
- 3 Lib. 2. scriba. Donat. contr. Parm.



*catholicae personam sustinet Petrus. Huic enim Ecclesiae claves regni colorum datae sunt, quum Petro datae sunt. Et quum ei dicitur, ad omnes dicitur, amas me? pascere oves meas.* 1. Similia sunt alia his adeo multa ab eodem dicta sancto Doctore, adeo constanter, ut Natalis Alexander inconcussim manere principium illud ex S. Scriptura et traditione acceptum, et a S. Augustino aperte, frequenter, perseveranter traditum, et inculcatum claves totae Ecclesiae a Christo datas, immediate ipsi collatam a sponso auctoritatem ligandi et solvendi, potestatem iurisdictionis in tota universitate Ecclesiae principaliter residere scripsit.

SCHOL. In Hist. eccles. saec. XV. et XVI. diss. 8. art. 3. §. 53. a quo non dissentiunt Habertus et Tournelius, quorum ille part. 2. de hierarch. eccles. cap. 5. §. 5. quaest. 2. scripsit: Potestas clavium data est Ecclesiae, hoc est, Pontifici et Episcopis, et his quidem cum subordinatione ad Pontificem Petri successorem. Hic vero de Eccles. quaest. 5. art. 2. Datae sunt etiam immediate unitati, id est, omnibus Apostolis eorumque successoribus Episcopis. Ad hanc sententiam accesserunt novissime viri clar. Schrodt. Inst. iur. canon. lib. 1. tit. 33. §. 749. et Ranttenstrauch Inst. iur. publ. eccles. §. 1. et 76. Monet autem uterque differre hanc, quam amplexi sunt, doctrinam ab ea, quae Edm. Richerii esse dicitur in libello de Eccles. et polit. potestate tradita, ut qui Ecclesiam sumserit, ait Schrodt. pro tota multitudine fidelium, cui iurisdictionem ecclesiasticam proprie atque essentialiter competere docuit. Eadem repetit Ranttenstrauch: Richerii manes nolim ego vindicare, sed hoc tamen, quod de Richerio hic dicitur, quam

*De agone christiano n. 32. Insignis praeterea locus est serm. 149. alias 16. de divers. ubi S. Doctor pro indubitato habet accepisse a Domino claves Paulum, Iohannem, Iacobum, ceterosque Apostolos. Et concludit: Quod uni Petro datum est, Ecclesiae datum est.*

absit non a mente tantum, verum etiam ab eo ipso libello, sciunt omnes, qui eum legerunt. Ipse iam questus est Richerius nec uno loco adfuisse sibi Vallium eam doctrinam, tanquam si docuisset, *claves datas etiam laicis, hautilis et cerdonibus.* Quam alienus ab hac doctrina vir ille fuerit, ipsa docere potest inscriptio capituli secundi, quae haec est: *Christus immediate et per se claves sive iurisdictionem ordini hierarchico contulit per immediatam et realem missionem omnium Apostolorum atque discipulorum.* Pag. 3. Hoc autem quid aliud significare potest, quam quod ait Schrodtius, se Ecclesiam intelligere regitivam, quae in Apostolis et Episcopis collective sumptis spectatur? quod quidem multo etiam lucidius apparet ex iis quae scripsit pag. 4. in haec verba: *Quando igitur missio vera et realis est collatio iurisdictionis auctore Apostolo :::: Christus autem omnes Apostolos atque discipulos, qui episcopalem et presbyteralem ordinem referebant, immediate, individue et collective misit, sicut a Patre suo, id est cum iusta et spiritali auctoritate ad regendam Ecclesiam necessaria, missus fuerat: consurgit, totum ordinem hierarchicum, episcopali et sacerdotali ordine constantem, immediate, proportionate tamen atque subordinate, suam potestatem et iurisdictionem, hoc est facultatem regendi Ecclesiam a Christo derivare. Haud minus vel obscura sunt vel ambigua, quae habet in fine demonstrationis secundi capitis, pag. 20.: *Summa huius disputationis est, ordinem hierarchicum collective sumtum clavibus cum sacerdotio Christi immediate habere a Domino.* Egone vero, quum haec tam perspicue a Richerio tradita lego, mihi a quoquam sinam persuaderi, Ecclesiae nomine ab illo non Ecclesiam regentem, quae ex Apostolis et Episcopis collectim sumtis constituitur, sed universam fidelium multitudinem acceptam fuisse? ne, si Petavium quidem hoc testetur.*

## §. XCIL.

## Quae forma imperii sacri?

Atque hinc aestimare nobis licet, opinor, quam ex iis, quae nuper expositae sunt (§. LXXXI.), imperandi formis ecclesiasticum regimen proxime referat. Nam quum huic *Christus* non solum summum Pontificem, tametsi ampla quadam atque eminenti auctoritate praeditum (§. XXIII.), verum Episcopos etiam praefecerit immediate ornatos potestate, subordinata illa quidem, et intra dioecesium limites reducta, propria tamen et ordinaria (§. LXXXVIII.): planissimum est, Ecclesiae christianae regimen nec pure esse *aristocraticum*, in quo primatus sacri potestas praeter modum ac rationem deprimitur; nec *absolute monarchicum*, quippe quod et cum ordinaria ac propria Episcoporum divino iure competente auctoritate non cohaeret, et praxi apostolicae, multo-rumque saeculorum notissimae cunctis observantiae perspicue adversatur; sed esse *monarchicum aristocratice temperatum*, in quo primatialis dignitas ad conservandam unitatem divinitus instituta ita eminet, totiusque Ecclesiae saluti curam ita impendit, ut de potestate ac dignitate Episcopis omnibus ac singulis a *Christo* in solidum commissa nihil penitus detrahatur.

Schol. I. Conf. Petrus de Marca in *dissert. de discrim. cleric. et laicor.* Nec si quis in rebus publicis gubernandis optimam contendat perfectissimamque regiminis formam absolute monarchicam, eandem ego continuo cum Card. Orsio ad ecclesiasticam societatem transtulerim: non ob hoc tantum, quod alia civitatum, alia sit Ecclesiae christianae ratio; verum etiam quod haec res omnis non tam ex philosophiae humanae placitis, ut ait doctissimus Rauttenstrauch (§. 82.) quam ex una Christi ceu institutoris Ecclesiae

suae

suae voluntate metienda sit. Quae quidem cuiusmodi fuerit, non ex iis tantum liquet, quae adhuc dicta sunt copiose, sed et in primis ex usu primitivae Ecclesiae tamquam voluntatis illius divinae interprete omnium gravissimo. De quo vide Tournelium *tom. 1. curs. theolog. pag. 544.* Rauttenstrauch. *loc. cit. §. 83. seqq.*

Schol. II. Aristocratiæ vero, an monarchiæ praevalcat, si quis rogat, etsi recte moneat laudatissimus Rauttenstrauch, nihil esse necesse omnia ad scholasticum loquendi modulum tam anxie exigere; neque vero rerum publicarum quidquam intersit, utro modo res suas agant Praelati Ecclesiarum, modo suos se intra limites contineant: tamen si quis prima Ecclesiae tempora cum iis comparet, quae Gregorio VII. P. posteriora sunt, animadvertet is, opinor, temperatius olim multo, quam post deinde sacram Ecclesiae monarchiam administratam fuisse. Conf. Ioa. Mod. Pichler. *systema regiminis ex Christi institutione §. 14. pag. 45.*

SE-